Quaestio Medica Cardinalitiis disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die martis 27 Maii.

Doctissimo viro D. Nicolao Le Grand Med. Regio Moderatore prudentissimo.

An Lienosi Deiectorio Medicamento purgandi?

Lien Parenchyma fungosum, rarum, molle, figura propemodum quadrangula, colore subrubro, in sinistra parte ventriculo adhaerescens, post haematosim (quae non solius carnis hepatis est opus) succum limosum et melancholicum, quo ipse alitur, per venam splenicam trahens, non secus quam folliculus fellis bilem flavam, sanguinem facit, ut sanguis purior universo corpori sit alimento. Ille autem sanguis congestus, aut quia in eo sanguinis multus colligitur, aut quia minus quam par est propter lienis imbecillitatem evacuatur, lienosis tumores, obstructiones, phlegmones, scirrhum, gravitatem in sinistro hypochondrio, et plura immedicabilia parit.

Si lien melancholicum succum, limum et faecem sanguinis retineat, affectus praedictos, et melancholiam turbulentamque somnia hic parit, ista in iecore si reponat periculosas conciliat distensiones, quas comitari solet hydrops, labefactatae haematoseos soboles. Si vero melancholicus succus divitatur in venas haemorrhoidas excitat, quas si diuturnas sine fine periculo constringi nequeunt, in intestina dysenteriam, quae si persevereт, semper est lethalis. Nec levior res minus quam par est allicit, committit icterum nigrum, elephantiasim, qua viri potius quam mulieres, et Romani quam Itali corripiuntur. In quibus tamen est insanabilis, quartanam febrem omnium longiss. et frequentissimam, gangraenam, varices, carbunculum, epilepticam convulsionem qua senes potius quam pueri iactantur, et cancros incurabiles.

Hos affectus fere omnes indicat color fuscus, et ater si in eum natiuus mutetur. Dolor nullus est, aut perexiguus in scirrho, ita observatus in lienis gravitate et obstructione, insignior cum febre et distensione in phlegmone. Melancholia moerore et metu (si persevarat) vere dignoscitur. In quartana pulsus initio accessionis velut ligatus, et intro retractus sine libero ambitu, pulsui deorepitorum persimilis. Urina fere semper tenuis, aquosa, et cruda. Morbis qui ab intemperie lienis originem trahunt, non satis allicit cibus, nec retrudendo indicat sibi fastidium.

In his morbis propulsandis purgatio certe est. quae cum duplex sit vomitus, et deiectorium medicamentum; vomitus fere semper molestus est propter humoris crassitiem, et gravitatem: at deiectorium medicamentum lieni interdum per venas, interdum in intestina sese exonerant accommodatissimum est; quo medicus raro motum sequutus melancholicos purgabit affectus, interim ne novus humor prava victus ratio accumuletur summo studio cavebit.

Clysteribus primum quidem mollibus, deinde acrioribus utetur. Melanagoga ex Polypodio, sennam, epithymum et elleborum seorsum tamen et praeparatis antea crassis propinabit. Venam cubiti sinistri interdum secabit. Vomitoria raro exhibebit, haemorrhoidas vero evocabit. Pituitas aggregatas plurimum cavebit, quod humor in atram bilem facilius promptaque mutatur, cibos crassos non probabit. Ad lienis duritiem mollientibus, laxantibus, et digerentibus utetur. Hydropem, aquam in ventre coacervatam per purgantia medicamenta evacuando, ~~purgabit~~ sanabit.

Lienosi igitur Deiectorio Medicamento purgandi.

Asserebat Antonius Duval Rothomagensis. 1567.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE